# DISSERTATIO
## MEDICA INAUGURALIS
DE
# BLENNORRHAGIA,
QUAM, ANNUENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

*LUDOVICI - VINCENTII RAOUL,*

Phil. Theoret. et Litt. Doct. et in facult. Litt. Prof. ord.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

## PRO GRADU DOCTORATÛS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

## IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICE DEFENDET

*Petrus de Kok,*

EX RETRANCHEMENT-CASSANDRIA, (PROV. ZELANDIA).

Die 5 Februarii MDCCCXXV, horâ XI^a^.

---

GANDAVI, apud MAX. ANT. MAHNE, Bibliopolam.

1825.

Ex decreto Facultatis, 2 Martii 1818, opiniones in Dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ sunt, et a Facultate Medica nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.

PATRI OPTIMO

S.

However ill founded an etablished opinion may be, if it has received the sanction of being generally adopted, we know how difficult it is to overturn it.

BENJ. BELL.

## L. S.

*Quam alii difficultatem ante me in eligenda Dissertationis Academicae materia experti sunt, illam quoque ego inveni, quo tempore me ad eam conscribendam conferebam. Atque idcirco mihi quoque opus esse indulgentia illorum eruditorum virorum, in quorum manus hocce specimen inciderit, probe scio sentioque. Nam non modo in hac qualicunqne scriptione mea nihil novi invenient, verum etiam nonnunquam judicii mei defectum in eligendis et disponendis optimis quibusque rebus, quæ ab aliis de hoc argumento Blennorrhagiæ scripta sint, fortasse accusabunt.*

*Cæterum vero restat, ut Academiæ Gandavensis Professoribus, quorum institutione mihi uti contigit, debitas gratias agam pro singulari ipsorum erga me benevolentiâ, quam per omne*

*vitæ Academicæ meæ curriculum expertus sum. Grato semper animo hujus temporis recordabor, nec quidquam ardentius unquam a Deo O. M. precabor, quam ut Academiam Gandavensem diu salvam et incolumen servet, et tam docentibus quam discentibus ex suo perenni benevolentiæ fonte omnia bona abunde largiatur.*

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

## DE

# BLENNORRHAGIA.

### DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Blennorrhagia dicitur fluxus materiæ mucosæ aut puriformis, ex urethra aut glande apud mares, ex vagina apud fœminas, ab inflammatione membranæ mucosæ harum partium originem ducens.

Morbus ille per longum tempus *Gonorrhœa* (a *γονή*, *semen* et *ῥέω*, *fluo*) fuit vocata: quod nomen ei manifesto fuit impositum, dum materia excreta adhuc pro ipso semine habebatur. Ei prætulimus denominationem *Blennorrhagiæ* (a *βλέννα mucus* et *ῥέω*, *fluo*) a cl. Swediaur in scientiam nostram introductam, quum illa, præter majorem exactitudinem, duas offerat terminationes (*Blennorrhagia*, *Blennorrhœa*) quibus status morbi acutus aut chronicus indicantur. De primo hic tantum sermo erit.

### MORBI DESCRIPTIO.

Longe abest, temporis intervallum, post quod morbus sese manifestat in individuo, qui coïtum impurum iniit, semper idem esse. Solet Blennorrhagia apparere nonnullis diebus elapsis; et exstant quidem observationes, e quibus patet morbum sese post plures demum hebdomadas

declarasse (1). Observationes has ne quaquam in dubium vocantes, nobis tamen notandum videtur in talibus casibus accuratius inquirendum esse utrum Blennorrhagia non oriatur a quacunque aliâ causâ quam a contagio. Quidquid sit de varietatibus et de incertitudine hac in re, generatim tamen statui potest fluxum apparere a tertio, ad septimum vel octavum diem.

Fluxum illum ordinario prægrediuntur symptomata inflammationem urethræ indicantia: æger percipit pruritum haud ingratum ad glandem; parva apparet areola inflammatoria circa orificium externum urethræ, cujus labia etiam tumida sunt; jam adest aliquis dolor in urinæ missione, præcipue sub initio; lotium rivulo angustiori et interdum bifurcato effluit.

Materia effluens initio parca est, brevi copiosior; color, primum limpidus, fit flavo-viridis; fluxus spissitudinem puris offert et lintea conspurcat. Pro morbi intensitate variant etiam symptomata. In casibus ordinariis æger percipit dolorem urentem in urethra, præcipue in parte anteriori: dolor ille sat tolerabilis multum augetur in urinæ missione, qua peracta, non nisi post aliquot minuta ad pristinum statum reducitur; adest frequens urinæ mittendi desiderium; partes genitales admodum sunt irritabiles; quædam glandulæ inguinales sæpe fiunt tumidæ, præcipue si æger indulgeat motibus violentioribus extremitatum inferiorum; percipit ægrotus dolores lancinantes in trajecto urethræ, ad anum usque; noctu expergefit erectionibus dolentibus et pollutionibus torquetur, præcipue in decubitu supino; coitus plane impeditur, vel saltem est ingratus, quum semen dolorem urentem excitet in tota parte urethræ, per quam transit.

Morbus sic manet stationarius per aliquot dies, quorum numerus plurimis causis variare potest; illo autem decrescente, emissio lotii minori dolore stipatur; sensibilitas solito major partium sensim sensimque evanescit; erectiones involuntariæ et minus frequentes sunt et minori dolore premuntur; materia excreta colorem sulphureum suum amittit, fit albida, magis spissa, quantitate imminuitur et brevi totaliter remanet,

(1) Benj. Bell, a Treatise on gonorrhœa virulenta and lues venerea.

vel alias per longum tempus, jam evanidis inflammationis signis, pergit, præter quam quod ægro magnas creet molestias, et tunc Blennorrhæam constituit.

Hic est morbi decursus dum non admodum est intensus, et neque æger nec medicus ullum comittunt errorem; sin res secus sese habeat symptomata enumerata fiunt graviora, et illis alia etiam accedunt.

Dum inflammatio ad corpus cavernosum usque extenditur, dolor intensissimus est, et in erectionibus frequentibus, penis frenulo glandis deorsum incurvatur ac si chordâ traheretur, quapropter in hoc statu Blennorrhagia *chordata* (*cordée*) vocatur. Haud raro tunc etiam observatur transudatio materiæ fœtidæ ex glandi rubenti et tumente, et ex facie mucosa præputii. Morbo tempestive et efficaciter non debellato, sæpe inflammatio adhæsiva cellulas corporis spongiosi inter se connectit, quâ penis incurvatus manet per totam vitam, et functioni generationis minus aptus.

Inflammatio profundius in urethram penetrans glandulas Cowperi interdum afficit. Initio tumores in perinæo tactu percipi possunt, postea etiam visu. Cum suppuratio hic facile oboriatur et infaustas sequelas post se trahat, status ille minime negligendus est, sed statim omnia adhibenda sunt, quibus inflammatio profligari potest (1).

Prostatâ inflammatâ, mingendi desiderium frequentissimum; urinæ effluxus difficilis; perinæum admodum sensibile, et minimus attactus dolores ciet; introducendo digitum in anum glandula tumida sensitur. Si necessse sit specillum in vesicam intromittere cavendum ne irritandâ glandulâ, malum augeatur. Morbi ille status promptum postulat auxilium (2).

Dum inflammatio ad vesicam penetrat, molestia, quam initio æger in hoc organo percipit, mox in dolorem violentissimum mutatur; lotii emittendi desiderium numquam frequentius est, et illud dolor et tenesmus comitantur; visceris collum præcipue afficitur; attactus regionis pubiææ ægro molestissimus est; dolores sympathici ad renes propagantur;

---

(1) Benj. Bell, opere citato.
(2) Benj. Bell, ibidem.

balanus prurit, inprimis post emissionem lotii, uti in calculo vesicali; fluxus nonnumquam interrumpitur, nonnumquam pergit; urina deponit sedimentum mucosum, quod postea fit spissum flavum et albuminosum, et tam firmiter fundo vasis adhæret, ut ab eo vix separari queat (1).

Interdum inflammatio adeo est violens ut folliculi mucosi nullam præbeant secretionem, et Blennorrhagia *sicca* tunc dicitur. Quam incongrua sit illa denominatio unusquisque percipit, qui ad verborum significationem vel obiter attendit.

Casus hic distinguendus erit ab illo ubi ægri incuriâ vel perversâ tractandi methodo inflammatio ab urethra ad aliam partem demovetur et fluxus plane fere sistitur. Id frequentius ad testiculum fieri, observatur. Inflammatio tunc, per urethram et ductus deferentes, ad testiculos extenditur. Rarius hæ glandulæ simul afficiuntur, sed morbus unam relinquens, alteram petit. Si æger imprudenter digitos, materie effluenti inquinatos, oculis admovet, nascitur ophthalmia violentissima, ab ophthalmia communi eo differens, quod in suppurationem et in opacitatem corneæ pellucidæ admodum sit prona. Promptissimum requirit auxilium. An illa ophthalmia etiam metastasi ortum ducere possit? Opinio hæc a verisimilitudine non abhorret, cum videamus interdum in Blennorrhagia inflammationem in genu oboriri.

In casibus morbi gravioribus adsunt priapismus; glandulæ lymphaticæ dorsi penis fiunt tumidæ; dolores extenduntur ad regionem lumbarem; materies excreta striis sanguineis est variegata; adest pyrexia, etc. Hæc ita tamen non sunt intelligenda, ac si omnia illa symptomata simul adessent in casibus alligatis, imo non nisi unum vel nonnulla observantur.

Quoad *Blennorrhagiam glandis*, illa plerumque ortum ducit ab immunditie, in illis individuis quorum glans continuo præputio obtegitur: materiis sebacea hic secreta, diuque subsistens, fit acris, et inflammationem et effluxum causat.

---

(1) Benj. Bell, opere citato.

# DE BLENNORRHAGIA FOEMINARUM.

Quæ de nostro morbo hucusque dicta fuerunt præcipue virum spectabant, jam illum in fœminis considerabimus.

Cum vagina minori gaudeat sensibilitate quam urethra, nec lotii effluxus continuo augeat inflammationem, non est quod miremur illum morbum in sexu sequiori non tam gravem nec tam diuturnum esse.

Materia majori quantitate quam apud mares effluere solet: superficies inflammata cum et magis sit extensa, ratio hujus differentiæ hic etiam in promptu est.

Dicitur in fœminis ille morbus minus frequenter observari, quam in viris; neque hoc explicatu difficile: symptomata hic minus intensa non impediunt quo minus filiæ quæstum corpore facientes, pergant coïtum inire, et sic ab una fœmina plerumque plures mares afficiuntur.

Signa inflammationis ante effluxum apparentia etiam minus sunt manifesta, quam in sexu masculino, et illa morbi periodus transire potest, nec tamen fœmina certior fiat de morbo suo. Attamen in casibus gravioribus et in fœminis sensibilioribus, vagina pruritu et urigine afficitur; secretio muci copiosior et propensio ad coïtum solito major est. Symptomata interdum tam levia sunt ut morbus decursum suum absolvat, fœminis, præsertim Leucorrhææ obnoxiis, de Blennorrhagiâ ne cogitantibus quidem.

In genere tamen non solum vagina, sed et etiam labia majora, nymphæ et clitoris inflammantur; coïtus, si locum habeat, est ingratus, molestus; urethra sympathice afficitur; emissio lotii dolore stipatur, inprimis dum partes affectas tangit: symptoma characteristicum, ut Swediaur ait, quo Blennorrhagia fœminarum a Leucorrhœa distinguitur. Cum materia hic facilius stagnet, excoriationes magis sunt timendæ, et idcirco munditiei diligentius est studendum.

In casibus gravioribus, vel in subjectis sensibilioribus, symptomata hæc omnia magis sunt intensa; adest præterea dolor sub sessione et incessu; pyrexia accenditur; adsunt flatulentiæ, vomitus; regio pubiæa tanto sti-

patur dolore, ut ægræ in hac ne minimam quidem pressionem sufferre possint, etc.

## DE MATERIA EFFLUENTE.

Longo tempore errarunt medici circa originem et veram indolem hujus materiæ. Habita fuit pro vero pure proveniente ab ulcere in urethra. Dissectio cadaverum individuorum in Blennorrhagiæ decursu obitorum, demonstravit rarius ulcera in urethra existere. Creditum etiam fuit esse semen corruptum; sed si hæc opinio esset vera, vix possit explicari quomodo fluxus materiæ seminalis, qui per menses et per annos quidem durat, ægros tam parum debilitet. Cum opiniones hæ plane sint derelictæ in eorum refutationem non diutius insistemus. In cadaveribus membrana mucosa reperta fuit inflammata, et obducta materie, simili ei quæ, viventibus individuis, ex urethra effluebat. Habemus igitur hanc materiam pro muco majori copia secreto, et a statu naturali plus minusve recedente, non aliter quam id in coryza observatur.

## DIVISIO.

Initio quo Blennorrhagia virulenta apparebat, generatim affectio syphilitica credebatur, quamvis plusquam triginta annis post illum morbum primum observata fuerit. Sed a tempore quo syphilis apparuit, attentio medicorum semper in eam directa erat, quo factum est, ut fere omnes affectiones partium genitalium pro syphiliticis haberentur, et Blennorrhagia non aliam sortem experta est.

Dividimus morbum nostrum:

1.° In *Blennorrhagiam virulentam* originem ducentem a virus sui generis, quod cum aliis *Blennorrhagicum* vocamus, et differens existimamus a virus syphilitico.

2.° In *Blennorrhagiam simplicem* productam a quacumque alia causa quam a virus Blennorrhagico.

Morbus hic omni tempore fuit cognitus et verisimiliter de eo jam Hebræorum Legislator (1) loquitur.

Ad causas, quæ hujus Blennorrhagiæ evolutionem producere valent, præcipue referuntur :

1.° Inflammatio catarrhalis membranæ mucosæ urethræ aut vaginæ.

2.° Stimulus mechanicus, quales sunt: corpora heterogenea in urethram prolapsa ; remansio specilli in illo ductu, apud individuos valde irritabiles; injectiones acres; nixus violentes in coïtu vel in masturbatione.

3.° Coïtus initus cum fœminâ laborante Leucorrhæâ vel alio fluxu ab affecto utero, proveniente.

4.° Substantiæ acres introsumtæ, quæ urinam acrem reddunt, vel præcipue in systema uropoieticum agunt, quales sunt: cerevisiæ fortiores in individuis iis non assuetis, cantharides, teribinthina, guajacum officinale.

5.° Sympathia: vasa hæmorrhoïdalia tumida sympathice urethram vel vaginam possunt irritare, et Blennorrhagiam producere, uti et etiam dentitio difficilis infantum.

6.° Morbi nonnulli: ab herpete, elephantiasi, scorbuto, podagrâ.

7.° Denique ex quo tempore syphilis apparuerit, alia est Blennorrhagiæ causa, cancri venerei nempe ostium urethræ obsidentes.

## DE NON IDENTITATE VIRUS BLENNORRHAGICI ET VIRUS SYPHILITICI.

Cum opinio de virus Blennorrhagico differenti a virus syphilitico generaliter nondum sit admissa, consultum duximus afferre præcipuas rationes quæ nos impulerunt illam amplecti.

1.° Blennorrhagia nec affectiones syphiliticas primarias, nec affectionem secundariam producit.

---

(1) Levitic. XV. v. 2. et seqq.

Allegantur tamen exempla Blennorrhagiarum quæ cancros produxere. Sed hic Blennorrhagia non fuit causa affectionis syphiliticæ, sed potius effectus. Accidit nempe interdum, quemadmodum in divisione vidimus, ut cancri, qui initio microscopo tantum percipi possunt, ostium urethræ obsideant: hi inflammationem membranæ mucosæ producentes, Blennorrhagiam efficiunt (1).

Quoad bubones et alia morbi syphilitici symptomata totam constitutionem post Blennorrhagiam inficientes, hæc non pendent a virus Blennorrhagico sed a virus syphilitico. Constat enim virus illud in corpus sese insinuare posse, nullam tamen affectionem primariam producens. Hoc extra omne dubium ponitur, cum observemus individuos meretrices frequentantes et affectionibus illis secundariis laborantes, qui tamen numquam morbo venereo primario affecti fuerunt.

2.° Blennorrhagia sponte sanari potest; cancri e contra, debito non adhibito remedio, semper in pejus ruunt, et infectionem generalem producunt.

Fautores sententiæ quam oppugnamus huic respondent, differentiam hanc tribuendam esse morbi sedi: materies, aiunt, in Blennorrhagia ejicitur, et non potest absorberi, ni membrana mucosa urethræ sit læsa (2).

Sed si in syphilide virus glandi vel labiis (in osculis columbinis) impositum, absorbeatur, cur id minus locum haberet in urethra? 2.° In excoriationibus ab acritate materiæ in glandi, vel in præputio productis, infectio generalis non sequitur, nec excoriationes hæ in ulcus syphiliticum abeunt. 3.° Si ophthalmia, aliquando in Blennorrhagia obveniens, metastatice supervenire possit, uti credit Swediaur, cur illa tunc differens est ab ophthalmia syphilitica? Idem dicendum de tumore in genu; quomodo illa sanaretur sine remediis anti-syphiliticis?

3.° Mercurius non sanat Blennorrhagiam uti sanat syphilidem.

Hydrargyrum, quippe stimulans, morbum nostrum potius auget. In syphilitide, violentissima tantum inflammatio propinationem illius remedii in tempus magis opportunum differre potest.

---

(1) Cl. Professor Kluyskens, prælectionibus Academicis.

(2) Swediaur, Traité complet des maladies vénériennes ou syphilitiques.

4.° Si verum esset idem virus producere Blennorrhagiam aut cancros, prout applicatum fuerit urethræ, vel glandi aut præputio, in viris; vaginæ, vel superficiei mucosæ partium genitalium externarum, in fœminis, tunc cancri illi multo frequentius observarentur, quam Blennorrhagia, propter faciliorem materiæ applicationem; secus tamen res sese habet. Præterea cancri syphilitici semper Blennorrhagiæ essent inevitabilis sequela, cum nunquam plane possimus impedire, quominus materia effluens in contactum veniat cum glande et præputio.

5.° Syphilis longo tempore ante Blennorrhagiam in Europa fuit observata (1); idem contigit in Sina. In insula Otaheite e contra Blennorrhagia virulenta longo tempore cognita fuit ante syphilidem. Cl. Bell asseverat in nonnullis Scotiæ provinciis syphilidem longo tempore grassatam fuisse inter individuos infimæ conditionis, quæ huc a militibus Protectoris Cromwell allata fuerat, et numquam Blennorrhagia ibi fuerat observata (2).

## PROPAGANDI MODUS.

Quæ ægri pudibundi sæpe narrant de modo quo morbum in se contraxerint, non multam fidem merentur. Ut Blennorrhagia virulenta ab uno individuo ad alterum transferatur, credimus necesse esse, ut materies effluens directe applicetur superficiei mucosæ. Num virus absorbetur et transfertur ad urethram, uti nonnulli putant, an est, uti alii sustinent, applicatio immediata virus in hoc ductu necessaria, ut Blennorrhagia virulenta producatur? Ultima sententia nobis magis arridet, cum videamus in levissimo etiam morbi gradu partem anteriorem urethræ, initio semper esse inflammatam, quia in coïtu impuro certe primum est exposita.

---

(1) Jac. de Bethencourt, primum de ea mentionem fecit; scripsit anno 1527.

(2) Opere citato.

## DE SEDE MORBI.

Sedes Blennorrhagiæ apud mares est in urethra; apud fœminas in vagina.

Plures auctores sedem nostri morbi apud fœminas etiam in urethra collocavere: dolor symphaticus in casibus gravioribus, et dolor, qui in urinæ missione percipitur, sed, qui pendet a lotii contactu cum vaginæ orificio inflammato, illos auctores verisimiliter in errorem duxit. Si præterea nostrum argumentum de modo quod morbus propagetur, validum sit, nullum dubium circa hoc punctum superesse poterit.

Quænam est pars urethræ quæ in viro inflammatur ? Plurimi auctores contendunt inflammationem, nisi in omnibus , certe in plerisque casibus non ultra fossam navicularem extendi; sed quæ contra hanc sententiam affert Cl. Cullerier, probare nobis videntur morbum arctis illis limitibus non circumscribi, en ipsius verba: *Les douleurs que ressentent les malades tout le long du canal jusqu'au col de la vessie, l'engorgement de ses parois dans cette même étendue lorsque la maladie est inflammatoire, les rétrécissemens du conduit qui surviennent à la suite des Blennorrhagies, et qui ont plutôt lieu du côté de la vessie que vers son ouverture extérieure, sont autant de preuves que le siège du mal n'est pas limité à un seul point, mais qu'il se porte tantôt dans une partie, tantôt dans une autre, et quelquefois dans toutes simultanément ou successivement. On ne s'en laisse point imposer par la douleur que les malades rapportent ordinairement vers le bout de la verge, parce qu'il est d'expérience que les irritations du col de la vessie, même celles produites par la présence d'un calcul donnent la même sensation que si elles étaient portées à la fosse naviculaire* (1).

Hisce addemus non verisimile esse membranam aliquâ violentiâ esse inflammatam, nisi hæc inflammatio ulterius extendatur. Contrarium saltem in trachea arteria observatur. Præterea copia muci excreti opinioni nostræ etiam favet.

---

(1) Dictionnaire des sciences médicales, voce *Blennorrhagie.*

Morbum interdum in glande observari vidimus. In casibus gravioribus apud mares ad vesicam urinariam usque extendi potest, et ad uterum apud fœminas, uti se egregie vidisse testatur idem Cullerier (1).

## DIAGNOSIS.

Morbi quibuscum Blennorrhagia confundi posset, sunt in viro: Blennorrhæa; 2.° Gonorrhæa proprie dicta.

In fœminis: 1.° effluxus purulens aut ichorosus ab aliquo morbo uteri ovariorum vel vaginæ originem ducens; 2.° Leucorrhæa.

Omnes hæ affectiones, nisi excipias Leucorrhæam, symptomatibus stipantur eis propria, et in Blennorrhagia non obvenientibus, qui morbus vicissim habet symptomata, quæ in enumeratis ægritudinibus non occurrunt; ita ut minima attentio sufficiat ad diagnosim stabiliendam. Leucorrhæa sola difficile a Blennorrhagia fœminarum distinguitur: inflammatio partium vaginam circumjacentium, ardor in urinæ missione, sæpius non minus intensa sunt, testante Bellio, quam in nostro morbo. Color magis albus et minor spissitudo effluentis materiæ non magis pro symptomatibus pathognomonicis ab auctoribus habentur. Constitutio, modus vivendi individuæ, si candida relatio morbi originis negetur, videntur præcipuæ conditiones quibus punctum illud obscurum dilucidari potest.

Ut variæ Blennorrhagiæ species inter se distinguantur, inquirendum est in omnes causas Blennorrhagiam producere valentes; cibi assumti, morbi præsentes, etc. Verbo instituatur examen accuratum in statum physicum, nec non moralem individui. Cæterum cognitio causæ, nisi illa adhuc adsit, minoris est momenti in cura.

## PROGNOSIS ET VARII EXITUS.

Prognosis minus ominosa est in fœminis, quam in viris: non solum, quia morbus est minus gravis, sed etiam, quia hic non timendæ sunt

(1) Dictionnaire des sciences médicales, voce *Blennorrhagie*.

complicationes et sequelæ, quæ in urethra virorum observantur. Blennorrhagia in fœminis morbus est sat benignus, qui ordinario cito terminatur et rarius fit chronicus.

In sexu masculino duratio morbi ad tres quatuorve hebdomadas protrahitur; sed hoc variat pro morbi violentia, ægri vivendi modo, et methodo tractandi. Fluxus tunc sponte sistitur, alias fit chronicus.

Inflammatio glandularum Cowperi, non tempestive medicata, suppuratione potest terminari, et hic infaustas sequelas post se trahere.

Si prostrata fuerit inflammata, induratio erit timenda. Sequelam hanc sæpe fluxus chronicus comitatur, nec non dysuria et quidem ischuria; curatio, dummodo obtineatur, certe difficilima est.

Si morbus ad visicam usque sese extenderit, hic condensatio parietum illius organi sequi potest; quod accidens sæpe immedicabile est, et ægro molestissimum ob necessitatem, inde obortam sæpius urinam mittendi. Inflammatio testiculi fere semper indurationem epididymi relinquit.

Cæterum individui qui sæpius Blennorrhagiâ laborarunt, quamvis hæ recte medicatæ, nec umquam graviores fuerint, tempore senili tamen coarctationibus urethræ obnoxii sunt.

## PROPHYLAXIS.

Non mirandum est multum occupatum fuisse in quærendis remediis, quibus post coïtum suspectum affectiones venereæ preverti possint. Varia media proposita fuere contra Blennorrhagiam, pro variis opinionibus, quas de virus ejusque propagandi modo habebant auctores. Difficile certe est in hoc casu, sufficientem numerum observationum colligere, ut quid certi *a posteriori* elici queat. Secundum nostram sententiam hac in re, ablutio penis, emissio lotii vel injectio alicujus liquidi innocui, immediate post coïtum impurum adhibitæ, spem præbebunt fore ut materia huic organo admota, priusquam ullum effectum exererit, foras ejiciatur. In quantum tamen remedium illud, in theoria sat plausibile, votis respondeat, nos latet.

## CURA.

Præter pharmaca in morbo nostro propinanda, non exigui momenti sunt ægri vivendi ratio, et præcautiones adhibendæ; has igitur primum exponemus.

Regimen quamvis non absolute antiphlogisticum, plus minusve strictum erit, pro morbi violentiâ et ægri constitutione; cibi e regno animali parce tantum concedentur. Spirituosa, aromata et substantiæ acres et salinæ circulationem intendendo, et urinam acrem reddendo, duplici modo nocerent.

Prohibeantur motus violentiores extremitatum inferiorum, saltatio, ambulationes protractæ, etc. Abstineat æger etiam ab equitatione. In viris usus suspensorii numquam est negligendus, ne inflammatio testiculum petat; si æger antea inflammationem illarum glandularum passus sit, periculum majus erit.

Vitet æger decubitum supinum; culcita lanea præferenda est culcitæ plumeæ; nec diu lotium et fæces retineat: hisce omnibus erectiones et pollutiones nocturnæ frequentiores redduntur. Abstinendum a coïtu et idæis lascivis, quæ erectionem producunt. Cavendum etiam a frigore.

Nec negligatur mundities præcipue in fœminis; partes sæpe aquâ tepidâ abluantur, et penis non ventri applicetur, quo materies inferius in urethram descenderet, inflammationemque ulterius extenderet, et in glande et præputio stagnans, phimosi, paraphimosi aut excoriationibus ansam præberet.

Remedia interna sunt primum mucilaginosa et oleosa. Sumat æger decoctum malvæ, althææ seminis lini, vel aliæ substantiæ mucilaginosæ vel oleosæ, sed numquam tantâ copiâ ut stomachum debilitari valeant.

Cum in omni inflammatione magni intersit, ut alvus libera servetur, id etiam maxime convenit in morbo inflammatorio partium genitalium; ideoque si alvus stricta sit, illa movenda erit eccoproticis, manna, tamarindis, oleo ricini, etc.

Balnea calida aut semicupia, balnea penis in lacte vel aquâ tepidâ etiam commendari merentur.

Medicus videat num venæ sectio propter morbi violentiam, vel ægri constitutionem, necessaria sit.

Injectiones sedantes ex dissolutione aquosa opii non parum conducunt solamini ægro et morbi citæ curationi. Prudenti manu tamen injectiones sunt instituendæ, ne rostrum clysteris urethram irritet, nec copia justo major materiei injectæ ductum illum distendat.

Lintea hâc dissolutione opiatâ madefacta et partibus genitalibus applicata, dolores optime sedant.

Quoad injectiones adstringentes, quibus utebatur Benj. Bell, periculo non vacant, et coarctationibus urethræ favent, idcirco illas solum fœminis reservabimus, ubi partes minus sunt sensibiles; nam certo non parum conferunt ad morbi durationem breviorem reddendam.

Si æger erectionibus involuntariis et pollutionibus nocturnis torqueatur, camphora introsumta, aut externe partibus applicata, vel opium cum clysmate oleosa injectum, optime conducunt. Penis de nocte inter crura ligari potest.

In Blennorrhagia chordata regimen magis erit strictum. Sanguinis detractiones locales, et interdum generales nccessariæ fiunt. Cataplasmata emollientia, sæpe renovata, fomenta opiata, injectiones sedantes, usus internus camphoræ juvabunt.

Quum glandulæ Cowperi sunt inflammatæ, cito eorum resolutio tentanda est. Individuo sanguineo fiet detractio sanguinis, applicentur hirudines perinæo, quæ reitirentur si necesse sit, et cataplasmata admoveantur. Si malum non cedat, vulnuscula a sanguisugis producta, frustulis emplastri agglutinativi sunt obtegenda, et applicetur vesicans. Si cura debito tempore non fuerit inchoata, vel non satis fuerit efficax, fieri posset, ut malum non vincatur, et ut glandulæ ad suppurationem transeant: in hoc statu illi favendum est, et exitum præbendum puri simulatque adest fluctuatio (1).

In inflammatione prostatæ numquam venæ sectio est negligenda, postea hirudines glandulæ tumidæ applicentur, et pro re nata reiterentur. Cataplasmata, uti in casu præcedenti, admoveantur; sed a vesicantibus

---

(1) Benj. Bell, opere citato.

non tot hic expectari potest. Cæteroquin, si initio resolutio non obtineatur, malum difficilime curatur (1).

Dum inflammatio ad vesicam usque extenditur, distractiones generales et topicæ (ad pubem) etiam indicantur. Injectiones oleosæ, fomentationes ad pubem, semicupia et interne extractum hyosciami ad gr. VI — IX de die, non parum solaminis afferunt. Elapso statu inflammatorio, ægro debilitato cortex Per. vel amara præscribantur, vel, si tonus vesicæ inprimis restituendus sit, pulvis uvæ ursi ad ʒj, et injiciatur aqua calcis, vel levis dissolutio sublimati corrosivi (2).

Si in Blennorrhagia appareat hæmorrhagia, illa nec timenda, nec cito sistenda est, quum inflammationis symptomata, illâ non parum leventur. Si necesse videatur illam sistere, hoc fit compressione, injectionibus adstringentibus, vel adstringentibus interne sumtis.

In inflammatione testiculorum applicentur hirudines scroto, postea cataplasmata; alvus libera servetur; positio ægri sit horizontalis, et partes genitales accurate suspendantur. Si fluxus cessaverit revocandus est balneis calidis, et exponantur partes vapore aquæ calidæ; si resolutio completa non obtineatur, testiculo inflammato applicatur emplastrum *de Vigo* cum mercurio.

Ophthalmia Blennorrhagica requerit curam antiphlogisticam promptissimam et efficacissimam: sectio arteriarum temporalium, sanguisugæ circa oculos; incisio corneæ, ut exitus materiæ extravasatæ præbeatur; fomentationes opiatæ calidæ, applicatæ. Sinapismi ad pedes; vesicantia; etc. In hanc tractandi methodum non diutius tamen insistendum est, sed, violentiâ inflammationis evanidâ, ad collyria adstringentia, ex sublimato corrosivo, unguentum ophthalmicum recurrendum, etc.; interne pillulæ ex sublimato corrosivo, quibus absorptioni favetur, propinentur.

Inflammatio genu non secus tractanda est, quam illa a violentia externa producta.

Tractandi methodus Blennorrhagiæ in fœminis parum differt ab illa in viris. Ob minorem partium sensibilitatem licet hic, uti jam dixi-

(1) Benj. Bell, opere citato.
(2) Idem, ibidem.

mus, adhibere fere ab initio, injectiones adstringentes. Si inflammationis intensitas conpescenda sit, sanguisugæ, injectiones emollientes et sedantis conducunt.

Notandum in Blennorrhagia, antiphlogistica non justo diutius propinanda; nam relaxando et dibilitando statui chronico favent. Hoc valet præcipue de corporibus debilibus, quibus diæta lauta concedenda est; quin in cachecticis tonicis utendum est.

Blennorrhagia glandis facile sanatur, applicatis cataplasmatibus emollientibus, balneis topicis in lacte vel aquâ tepidâ; postea adstringentibus: aquâ calcis V. C.

Excoriationes glandis et præputii eodem modo curantur. Ceratum saturni convenienter adhiberi potest. Unguento mercuriali, res in pejus rueret.

Decantatæ fuerunt injectiones ex aqua Lauro-cerasi, vel acido Prussico, aqua diluto. Experientia tamen docuit remedium illud ansam dare œdemati præputii, et sic alium morbum curandum relinquere, ita ut injectiones opiatæ sint præferendæ.

Olim multum adhibebantur balsama calefacientia, quæ postea, tamquam nociva in morbo inflammatorio, relicta fuere. Sunt tamen adhuc practici qui balsamo copaïvo, cum felici successu, ut aiunt, utuntur, et Cl. Prof. Ansiaux (1) ab initio morbi præscribit potionem balsamicam, quâ Chopart in morbi statu chronico utebatur, et quæ sequenti modo conficitur:

℞. Aq. still. menth.
Alcohol. vini.
Balsam. copaïv.
Syr. capill. vener. aā ℥ ij.
Aq. flor. aurant. ℥ j.
Spir. nitr. dulc. ʒ ij.
M.

S. Sumat æger mane cochlearia duo, unum meridie, unum vesperi, per dies circiter duodecim.

---

(1) Clinique Chirurgicale.

Aegri qui hanc potionem sumunt diarrhæa afficiuntur, et fluxus ex urethra, interdum jam a secundo vel tertio die sistitur.

Non mirum videbitur inflammationem illo remedio interdum augeri. Mixtura simplicior reddi posset, uti nobis videtur. An Balsamum Capaïvæ specificum esset in Blennorrhagia virulenta, uti hydrargyrum in syphilide, et an talimodo ejus effectus salutares in morbo inflammatorio explicandi? Quidquid sit, si morbus illo remedio citius sanetur, nullum periculum curam antiphlogisticam comitatur, atque idcirco nobis præferenda videtur.

Blennorrhagiæ originem ducentes ab actione frigoris vel a quocunque stimulo in urethram agente, sæpe sponte, vel regimine et potulentis mucilaginosis, evanescunt. Si abusu cantharidum inducta esset, camphora cum successu præscribetur. Illæ, quæ nascuntur ab alia affectione, presente, requirunt remedia naturæ illius morbi adæquata.

TANTUM.

# THESES.

I.

Contagium ab uno individuo ad alterum translatum vim suam sensim sensimque amittit.

II.

Applicationem aquæ frigidæ ad partes genitales in pollutionibus nocturnis, nocivam habemus.

III.

Remedia existere quæ *specifica* vocari merentur censemus.

IV.

Verissime dixit Hippocrates: *Experientia fallax.*

V.

Homo non eodem sensu omnivorus est dicendus quo animalia bruta.

VI.

Miasmata paludosa non semper sufficiunt ad febres intermittentes producendas: et sic insalubritas regionis non a numero paludum peti potest.

VII.

Usus Tabaci, sive fumus fistulâ hauriatur, sive in ore manducetur, utilissimus est ad morbos præcavendos, originem ducentes ab emanationibus individuorum, morbo contagioso affectorum.

*Impressioni mandetur*

J. C. VAN ROTTERDAM, h. t. decanus.

## BIJ DE BEVORDERING VAN MIJNEN GEACHTEN VRIEND

# P. DE KOK,

## *Tot Doctor in de Geneeskunde.*

Tusschen palm en eerlauw'rieren,
Die zoo mild uw lokken sieren,
 Prijkt ook 't vriendschapsbloempje schoon!
Laat mijn hand dat roosje vlechten,
Onder 't frissche loover hechten,
 Aan uw rijke zegekroon.

'k Huldig geen geweldenaren,
Die uit tranen lauwers garen,
 Hooger krans is hier bereid!
Hier stijgt lof en lied naar boven,
Om Minerva's zoon te loven,
 Die zich 't lijdend menschdom wijdt.

Wisch uw kroost die traan uit de oogen,
Moeder, al te diep bewogen,
 Zend uw dank tot God den Heer!
Weêuw noch weesjes zult gij wezen,
Ziet uw' redder, wilt niet vreezen,
 Hij geeft gade en vader weêr.

Staakt dat bitter jammerklagen,
Ouders, die in rouw geslagen,
 Aan uws liev'lings sponde waakt:
Dankt de Godheid voor den zegen,
Zij zendt u haar Engel tegen,
 Ziet het uur van redding naakt.

Neen, uw band wordt niet verbroken,
Vrienden, die van troost verstoken,
  Afscheidsgroet en handdruk geeft :
Laat de vreugd uw smart vervangen,
Wilt elkaâr aan 't harte prangen,
  Siddert niet, uw helper leeft!

Roerend rolt uit hart en ader,
Ook voor U, tot aller Vader,
  't Gloeijend smeekgebed omhoog!
Als zij biddend nederzijgen,
En hun lofzang op doen stijgen,
  Die uw hand aan 't graf onttoog.

Zie, van uit de hemelkringen,
Waar de Serafs 't jubel zingen,
  Blikt een reine troongeest af!
Ja, die blik zal zegen geven,
Steeds die Engel rond U zweven,
  *Zij* is 't, die U 't leven gaf!

Blijf de krans van 's Vaders lokken,
Als de grijsheid zilv'ren vlokken,
  Om zijn achtb'ren schedel strooit;
Zalig, die hun Ouders kroonen,
Hen toeft zegen in hun zonen,
  En hun lauwers dorren nooit.

Als gij in de hemeldreven,
Eens verheerlijkt rond zult zweven,
  Waar de ziel een rustplaats vindt;
Dan praalt op uw grafgesteente :
» Pleng een traan bij 't kil gebeente
  » Van een' waren menschen vrind!"

J. J. F. Wap.
*Phil. Theor. et Litt. Hum. Stud.*

*Gend, Januarij* 1825.

---

EX OFFICINA P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE,
Academiæ Typographi.